



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Libros III. IV. Et V. De Avxiliis Gratiae In Generali, De Avxilio
Svfficiente, Et De Avxilio efficaci Gratiae Dei

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1652

XLIV. Ex Patribus Augustino antiquioribus physica prædeterminatio
resellitur, & vocatio congrua comprobatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94118)

uenta, & adiuta. Et hoc est, quod ibi significatur cū dicitur: Ita totum Deo recte adscribitur qui voluntatem nostrā quam creando nobis impertit, gratia sua praeuenit, excitat torpescientem, ut lapsū suū norit, postea corrigit nolentem, ut resurgere velit, postremo adiuuat voluntatem, ut resurgere possit, & sic salus nostra Dei gratitudo est donum. Hæc autem motio, & excitatio, quæ datur, ut immediate efficiat, ultimam dispositionem ad gratiam, actū non iustificat hominem, nisi quando actū obtinet à voluntate hominis talem consensum, & ideo tunc solum potest illam determinationem gratiæ iustificantis recipere, iustificantis scilicet, non formaliter, sed suo modo effectiue, & dispositiue. Ad hanc autē efficientiam, vel denominationem non est necesse, ut habeat ex se, & natura sua suam vim prædeterminandi physicē voluntatem, sed satis est ut secundum propositum Dei in ea opportunitate conferatur, in qua prænotatur effectum habitura: neque aliud ex illo Enchiridio colligi posset, etiam si eius auctoritas admittenda esset.

Præter Concilia desiderare potest Lector, ut alia decreta Ecclesiastica à summis Pontificibus de hac materia edita expendamus. Si quis autem legat attentē, quæ de doctrina pontificum in hac materia diximus Prologomen. 9. cap. 1. facile intelliget, nihil hic nobis addendum superesse quia ipsi in suis Decretalibus solum confirmant Africana Concilia, vel eandem doctrinam tradunt, quā illa, & Araucanicum Concilium docuerunt, & ideo quæ de his Conciliis diximus, decretis Pontificiis intelligi debent. Docent enim necessitatem gratiæ contra Pelagium, illique tribuunt salutis initium contra Semipelagianos, de auxilio autem prædeterminante ne verbum insinuant. Quod maxime intelligere liceat ex epistola Cælestini, ubi summam omnes sententiæ, in quibus doctrina fidei ad gratiam pertinens continetur, referuntur ex Innocentio Papa, & Africanis Conciliis, & aliquid additur ex Zosimo Papa, quod in eius decretis nunc non habemus. Et in fine subduntur illa verba, Profundiores verò, difficilioreque partes occurrentium questionum, quas latius pertractarunt, qui hæreticis reſtiterunt, sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus adstruere, quia ad confitendum gratiam Dei, cuius operi ac dignationi nihil penitus subtrahendum est, satis sufficere credimus quicquid secundum prædictas regulas Apostolicæ Sedis nos scripta docuerunt. Cū ergo in superioribus regulis nihil de gratia prædeterminante doceatur, recte ex his ultimis verbis concludimus ad expugnandos Pelagianos, & Semipelagianos, & ad totam gratiæ necessitatem tuendam, illam non esse necessariam, ac proinde cum aliunde videatur libertati repugnare, non esse admittendam. Propter hæc igitur plura de his epistolis Pontificum dicere non est visum necessarium, neque etiam pro nobis aliud speciale argumentum ex eis sumimus, præter negatiuum, quia sine auxilio prædeterminante sufficientem gratiæ doctrinam nobis tradiderunt, & Pelagianos, & Semipelagianos confutarunt, quod in hoc puncto, ut saepe ostendi, magnum est argumentum. Aliqua verò quæ nonnulli Pontifices, non ut Pontifices, sed ut Scriptores, vel Doctores Ecclesiastici tradiderunt, in sequenti capite proponuntur. Ad Patres igitur veniamus.

CAPUT XLIV.

Ex Patribus Augustino antiquioribus physica prædeterminatio reſtillitur, & ratio congrua comprobatur.

UT veritatem lucidius ostendamus, & Lectoris fastidium leuemus, in tres classes Patres, à quibus argumentum sumimus, distinguimus. In prima ponimus eos, qui vel Augustinum præcēserunt, vel vique ad eius tempora vixerunt, & ab eo doctrinam eius de gratia vix legere potuerunt. In secunda solum Augustinum ipsum constitimus, tanquam præcipuum gratiæ Dei propugnatorem. In tertia ponimus subsecuentes Patres, qui Augustinum imitati sunt.

Quod ad primi ordinis Scriptores spectat, qui ut dixi, ferè nullus eorum præter Hieronymum de diuina gratia ex professo disputant, non sunt ab eis testimonia expressa expectanda, sed tantum aliqua generalia principia, ex quibus per necessarias, vel multum probabiles illationes eorum sententia colligi valeat. Huiusmodi autem principia duo esse censemus. Vnum est quod efficacia præuenientis gratiæ morali modo explicent sine physica seu efficaci prædeterminatione: aliud est quod ad libertatem requirunt intrinsecam potestatem proximam sese flexendi ad utrumque, cui repugnans necessitas prædeterminationis ab extrinseco præuenientis, ut in lib. 3. cap. 43. allegauimus, & statim aliam addamus, qui etiam in operibus gratiæ necessariam existimant eandem potestatem proximam ad utrumque partem. Ac proinde volunt in nostra potestate esse uti, vel non uti gratia, quæ à Deo præuenitur, quod repugnat physica prædeterminationi, ut defensores eius fatentur.

Primo igitur ex Patribus Græcis adduco Chrysostomum homil. 19. in Genes. dicentem. Quia liberi arbitrij esse nostram naturam fecit Deus, ipse quidem quæ sunt, per suam misericordiam semper exhibet, & sicut abscondita, & profunda, mentis arcana hortatur, consiliis conatusque nostros malos reprimat, & necessitatem virtutis non imponit. Quomodo autem necessitatem non imponat declarans, subiungit. Sed congruè remediis appositis, totum iacere in agrotantis sententia, dimittit. Quod non video quæ veritate dici possit, si ex parte Dei concursus gratiæ necessarius, non cum indifferencia offerretur, sed in vnam partem prorsus voluntatem hominis determinaret. Et ideo indicat Deum suadendo, & vocando congrua ponere remedia iuxta infinitam præscientiam suam, Vnde Homil. 22. sic inquit. Quia in nostra potestate totum post gratiam relictum est, ideo peccantibus supplicia propiunt, & bene operantibus retributiones. Vbi valde notanda est particula post gratiam, tum ad explicandam mentem Chrysostomi in alijs locis, quæ mox referemus, quia manifestè loquitur de gratia præueniente, & constituente voluntatem in actu primo: tum etiam, quia sub illa gratia comprehendit omnem gratiam quouis modo antecedentem consensum voluntatis, ut ex prioribus locis, & ex ipso contextu manifestum est, & illa statim dicit, totum relinqui in potestate voluntatis, non quia voluntas non indigeat concursu Dei ad ultimam consensum, sed quia illum habet ad utramque partem paratum, & solum expectatur cooperatio eius, ac si præcederet gratia prædeterminans, illa profecto non relinqueret totum in nostra potestate, quam ad vnum inuitabiliter flexeret. Et simili modo dixit idem Chrysostomus Homil. 9. in

in Ioan. Deus neminem cogit suadendo, & beneficiando voluntarios quoscunque, & vitæ sequentes allicit, & ad se trahit.

Aliis præterea locis videtur Chrysostomus aperte prædeterminationem negare, ut Homil. 17. in Io. cum dicit, *Deus noster non præuenit voluntates*, & Homil. 12. ad Hebr. dicens, *Nostros non antecedi voluntates, ne nostrum latur arbitrium*, & Homil. 42. ad popul. *Nostros non præuenit voluntates, ne nostram teneret libertatem*. In quibus locis verbum antecedit, & verbum præuenit, non sunt quidem posita ad excludenda auxilia gratiæ excitantis, seu præuenientis, quæ antecedens etiam dici potest: nam in hoc sensu locutiones continerent errorem contra fidem. Ergo posita sunt ad excludendum motionem vi sua efficaciter prædeterminantem voluntatem. Nec iuuabit, solum dicere posita esse ad excludendam motionem necessitantem; tum quia iam est ostensum, non posse præuam motionem sic determinare, nisi necessiter: tum etiam, quia essent futilia, & identica verba Chrysostomi; perinde enim esset, ac si diceret, Deus non necessitat voluntatem, ne tollat libertatem: sensus ergo est non præuenire illam tali efficaci motione, ne libertatem eius lædatur, seu illam necessiter. Atque in eodem sensu exponit Chrysostomus in dicta Homil. 42. illud Psalmi. 120. *Ne des in commotionem pedem tuum*, dicens. *Quia in nobis est dare, non in illo altero, ubi illa negatio non excludit omnem effectum Dei, ut per se constat, & ipse statim declarat; excludit ergo præmotionem, quæ efficaciter faciat voluntatem ad mouendum pedem*. Nam verbum illud Psalmi, *Ne des*, idem significat, quod ne eligas, aut voluntatem tuam ad hoc determines. Et ideo sibi statim obiicit, *Quid ergo in Deo nihil est?* respondet, *Omnia quidem in Deo, sed non ita, ut liberum in nobis arbitrium violetur*. Nihil ergo potuit excludere, nisi hanc efficacem præmotionem.

Præterea homil. 5. ad Ephes. in illa verba, *Qui aliquando gratis longe facti estis prope, cum dixit, illud longe, & illud prope est solus liberi arbitrii, & electionis, per illud solus non excludit adiutorium Dei; excludit ergo motionem, quæ determinationem voluntatis antecederet; & indifferentiam tollat*. Et eandem doctrinam latè tradit in Homil. de ferend. reprehensionib. & conuersione Pauli in fine, ubi prius dicit, *Paulum non sola vocatio adduxit, sed & voluntas eius, & addit infra, Vellem autem vos sermonem hunc diligenter memoria tenere*. Et infra, cum dixisset, *Deum ita trahere hominem, ut non cogat, addit verba valde notanda*. Nam si ipse vult, nos autem volumus, ad nostram salutem nihil proficiunt ea quæ aliquo efficaciæ sunt, non quia infirma sit eius voluntas, sed quia cogere neminem vult. Vbi primum expendo vocare Chrysostomum efficaciam auxilia, quæ ad salutem nihil proficiunt, quia homo resistit, sentiens planè per hominem tantum stare, ut effectum non habeant. Deinde docere, Deum non mouere hominem, qui conuertitur, neque etiam Paulum ipsum per talem motionem cui homo resistere non possit, non quia Deus id facere non possit, sed quia si faceret, hominem cogeret, id est, necessitaret. Et hinc paulo infra reprehendit excusationem eorum qui dicunt, *Si Deus vult, persuadebit mihi ut conuertar*. Quos non arguo, (inquit,) sed valde probò quòd ad voluntatem Dei confugunt, vellem autem, nos etiam nostra offerre, & cum dicere, si Deus voluerit. Et infra, *Et aliquid se solam voluntatem Dei prætexas, nihil eorum quibus opus habes, adipisceris unquam*. quibus verbis, & multis aliis docere præcipue intendit efficaciam gratiæ quoad actuale determinationem voluntatis humanæ, non ex sola diuina, sed simul ab humana pendere.

Ad hæc testimonia Chrysostomi, præsertim ad locum homil. 12. ad Hebr. respondet Cumel. Chrysostomus de Gratia Pars II.

Chrysostomus non solum ibi de auxilio prædeterminante, sed etiam de omni auxilio præueniente, & excitante loqui, ac subinde errasse, & semina Semipelagiani erroris iecisse. Et in me acriter inuehitur quòd ineptè locum illum citauerim, subtrahendo antecedentia, & consequentia verba. Et nihilominus ex eadem Homil. 12. suam sententiam probare conatur, quasi potuerit Chrysostomus sentire præuenientem gratiam diuinæ inspirationis, vel excitationis repugnare libertati. Et ad hanc posteriorem partem suadendum adducit generalia verba eiusdem Chrysostomi Homil. 4. de laudibus Pauli, quibus virtutem & potentiam gratiæ diuinæ mirum in modum extollit, & insuperabilem vocat. Et specialiter ponderat illa verba. *Noli, (igitur,) in praua permanere sententia, sed considera virtutem Crucifixi. Quòd si temporum opportunitas cuncta fecisse dicatur, ad repellendum Theodorus, & eius discipuli proferentur, qui cum eisdem ferè, quibus etiam Christus temporibus existisset, & veritatem per quamdam vitam signa impugnare tentasset, repente destructi sunt*. quæ verba videtur inducere contra gratiæ congruitatem, quia sentit Chrysostomus efficaciam eius, non ex temporis opportunitate; sed ineffabili Christi virtute provenire.

Hæc verò obiectio, & reprehensio efficaciam dictorum testimoniorum magis illustrat, cum non possint aduersarij illa effugere, nisi attribuendo Chrysostomo tum Semipelagianum errorem, tum contradictionem in propria doctrina. Ego verò in primis censeo, Chrysostomum verè, & catholice sensisse de initio salutis, & iustitiæ, quòd ex gratia sit, & non ex nobis. Hoc latè probauit in dicto cap. 8. lib. 1. de prædeterminatione verbis expressis eiusdem Chrysostomi, Homil. 18. & 38. in Genes. Homil. 12. in 1. ad Corinth. & 38. ad Popul. & alijs quæ ibi videri possunt. Et idem de Chrysostomo sentit Driedo locis infra in proprio capite allegandis. Et Episcopus Lucensis in Aduertend. ad 1. tomum Chrysostomi quæ sit 9. ubi hæc verba ex Chrysostomo refert. *Nos quidquid boni habemus, ex præuenientis, vocantis, & semper incipientis gratiæ benignitate habemus; nullum est in nobis meritum quòd non sit donum Dei; cuius quidem tanta est bonitas, ut velit nostra esse merita, quæ sunt ipsius dona*. Non tamen designat locum, sed ait, *In initio homilie citat*. Solum autem citauerat homil. 42. in Genes. & 17. in Ioan. in quibus illa non reperio, nec in alia homilia eadem formalia verba inuenio, quamuis in sententiâ habeantur in dicta homil. 12. ad Corinth. iuncta homilia de Adam, & Eua. Sunt verò alia valde notanda verba eiusdem Chrysostomi homil. 70. in Matth. *Verum cum per gratiam vocati sumus, cur hæc tam accuratè disputat, quia videlicet vocatio, & purgatio ipsa ex gratia sunt: ut verò vocatus iam, & candida indutus veste, seipsum non maculet, ad diligentiam quoque pertinet vocatorum*. Nam non quia dignus, sed quia gratia tibi largita est, vocatus fuisti, oportebat te vicissim pro gratia nonnihil reddere, &c. Quid clarius? Et in libro de Compunct. cord. circa finem, dicit Sanctos; non propter signa, sed propter animi virtutes, & ait, *quod vtique meritum quidem diuinum, & gratia celesti, proprio tamen studio operati sunt*.

His addo, Chrysostomum nunquam in hoc punito fuisse sibi contrarium, aut contraria docuisse. Probatur primo, quia omnia quæ dicit, possunt facile sine contradictione intelligi, distinguendo gratiam, temporis, & personas, de quibus loquitur, ut in dicto cap. 8. fuisse declaravi. Cum enim dicit Deum expectare voluntates nostras, ut bonum eligant, & virtutem operari incipiant, ut eo modo gratiam à Deo obtineant, loquitur ad fideles, & iam vocatos proponit modum, & rationem obtinendi abundantiora gratiæ auxilia, vel dona. Cum verò omnia bona tribuit gratiæ, tanquam origini, & principio, loqui-

Triedo.
Episc. Lu-
cens.

Notanda
Chrysosto-
mi verba
circa voca-
tionem.

8.

Episc. Lucen.
conf.

loquitur simpliciter de toto ordine auxiliorum gratia. Et ita etiam exposuit dictam homil. 12. ad Hebr. idem Episcopus Lucensis in Annotat. ad rom. 4. quæsit 31. iuncto quæsit 13. ad secundum tom. quod ibi allegat. Secundum probatur, quia sunt tam multa & varia loca, in quibus nunc hoc, nunc illo modo loquitur, ut incredibile sit, vel ignoranter sibi contraxisse, vel toties sententiam mutasse.

9.

Et interdum in vno eodemque loco agnoscit præuiam Dei motionem de se efficacem, cui semper voluntas possit resistere, ut maxime videri potest in verbis proximè allegatis ex homil. de ferend. reprehensionib. & conuersionib. Pauli. Et in dicta Homil. 4. de laudibus Pauli, in principio, ubi initium gratia, & miserationis Dei erga illum ponit in vocatione, statim verò subdit. Sed nullus hoc audiens ipsam vocationem necessitatem putet, si quidem potuit redire vnde discesserat, &c. Et cum postea præuiam, & fortem gratia præmotionem descripsisset, interrogat, Et cur, (inquit,) hoc non ante factum est? Respondet. Ne quæras istud, nec velis esse curiosior, sed concede incomprehensibili Dei providentia salutes esse hominum notis sibi temporum opportunitatibus ordinant. Sic enim ipse ferebatur, dicens. Cum autem placuit ei, qui me segregauit, de vtero matris meæ vocauit per suam gratiam, ut reuelaret filium suum in me. Nihil igitur tu scrutaberis amplius, quia hoc dixit & Paulus. Et addit paulo inferius, Ab ipso itaque discamus, quoniam nullus ante Paulum, neque ipse Paulus ex se tantum modo illum inuenit, sed ipse se Christus ostendit, & ideo dicebat. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. Per quæ omnia euidenter declarat initium salutis esse ex solo Deo. Vnde interrogans vterius cur Paulus non fuerit antea persuasus, licet doctrinæ, & miracula Christi ignorare non potest, & respondet. Quia nec dum utique vocatus fuerat à Christo, vocatione utique speciali & opportuna. Et statim repetit. Tu verò hoc audiens noli vocationem istam necessitatem putare, non enim Deus cogit homines vocando, sed post vocationem quoque permittit eos propriarium esse dominos voluntatum. Vnde inferius ad finem homiliae dicens, per Pauli linguam Deum bonis mundum repleuisse, per illam, ait, quam in ipsum contulit gratiam. Quia enim dignam tali dono deuotionem gerebat, expressa in illo etiam gratia coruscavit. Vbi gratiam videtur Paulo tribuere, non tamen primam, nec ex se, sed ut cooperanti priori gratia. Ac tandem in eodem sensu eundem sermonem ad omnes extendit.

10.

Chrysostomum non adhaerere errori Semipelagianorum, nedum illorum sententiam ex pressè docet, & in alijs non in eorum sensu loquitur, nec sibi contrariū est, ut ostendi, tum hic, tum in dicto cap. 8. Vnde licet in aliquibus locis, minus cautè fortasse loqui videatur, causa fuit, quia nondum illo errore exorto securius ad fideles, etiam à Deo vocatos loquebatur, vel feruore loquendi, & mouendi eos ad exercitiū virtutis, vel zelo impugnandi hæreticos; quorum error contra libertatem arbitrij tunc se parabat. Et hoc est, quod Sixtus Senenf. Episcopus Lucensis, & alij dicunt excessisse Chrysostomum aliquando ut libertatem arbitrij contra hæreticos defenderet, intelligi enim debet hic excessus in modo loquendi magis, quam in sensu doctrinæ, & fortè ille qui nunc paret excessus propter nouas hæreses, pro illorum temporum statu non erat: quæ doctrina est consentanea Augustino lib. de prædestinat. Sanctof. c. 14. & lib. de don. perseuer. c. 19.

Sixtus Sen.

August.

11.

Præterea est manifestum ex dictis non potuisse Chrysostomum negare veram præuenientem gratiam, eo quòd exiit in ueritatem illam esse contrariam libertati. Nam expressè in dicta Homil. 4. de Laudibus Pauli ponit vocationem præuiam, & non in-

ferentem necessitatem, & homil. 12. ad Corinth. omnia rectè facta, etiam fidem dicit esse vocatione, & homil. vigesima octaua prout gratia omnia tribuit, etiam liberè fiant; & dicta homil. 12. dicit post gratiam consensum relinquere in nostra potestate. Et in alijs locis vocationem illam, quæ necessitatem non infert, docet esse ita posse opportunitam, & congruam, ut infallibiliter habeat effectum. Sicut de vocatione Pauli significauit in dicta homil. quarta in verbis supra citatis, & Homil. 31. in Matth. Quemadmodum, ait Petrus, & Ioannem vocauit, quando obtemperaturos sciebat, sic Mattheum quoque tunc vocauit, quando miraculorum fama perdomitum minime reluctatum videbat. Et in hoc nihilominus dicit ostendi, virtutem vocantis ad hominis transmutandam. Et postea commendans Matthei obedientiam ait, Mirabili hac obedientia testimonium vocanti perhibuit, quod opportune ipsam vocauit. Et similiter in hom. 65. exponens parabolam vineæ dicit, Patrem familias vocasse operarios in illis horis in quibus obtemperaturos erant, quia nimirum congruè & efficaciter illos vocauit. Idemque sentit de Centurione super Psalm. 115. De illo verò dicit propter opera fuisse dignum vocatione, quia loquitur de vocatione secunda quæ per Petrum facta est, iam enim erat fidelis. Quamuis ille modo loquendi possit etiam pie interpretari, ut dignitatem lato modo vocauerit aptitudinem quandam, & dispositionem, quali phycam ad non resistendum vocationi, quæ non est ratio meritoria vocationis, sed remouens, prohibens, quod faceret vocationem, vel non dari, vel non esse congruam.

Vltimò ex dictis concludo cum Chrysostomus in homil. 12. ad Hebr. & 17. in Ioan. alijsque locis dicit Deum non præuenire nostras voluntates, non posse aliter intelligi quam de præuentione per motionem necessitatem, seu quod perinde est, phycè prædeterminantem. Sic enim docet alijs locis, licet præcedat vocatio congruentissima, nunquam esse necessitantem, sed relinquere in voluntate veram potestatem, & dominum vtendi illa, vel non vtendi; quod dominum repugnat auxilio prædeterminanti, nam propterea defensores eius dicunt, non subdi voluntati, sed illam sibi libere. Et ideo etiam Chrysostomus post vocationem totum videtur ponere in arbitrio voluntatis, non quia sola sine ope gratia possit prestare consentium illam enim gratia necessitatem sapientissime docet, sed quia semper est in potestate voluntatis vocationem secundum se spectatam facere inefficacem, & è conuerso, ab illius libera potestate, & cooperatione efficientia actualis vocationis proximè, & immediatè pendet, Neque propter hoc Chrysostomus cum Semipelagianis sentit gratiam subiiciendo libero arbitrio, sed vsum præuenientis gratia quoad subsequenter actum secundum libertati subiicit, quia non exit in actum nisi voluntas velit, sicut habitus in fusi subiiciuntur voluntati quoad vsum, etiam si gratis infundantur, & recipiantur.

Denique idem sensus confirmatur ex alijs Patribus Cræcis, nam Iustinus antiquior Chrysostomo in lib. Respons. ad plures necessar. quæstion. in lib. q. 8. duriorem locutionem habet, ita necessitatem interpretandam. Nam eo quòd Deus liberum arbitrium, cum eligendi potestate nobis concessit, infert. Non igitur causa est Deus virtutis nostra, aut virtus, sed effectus. propositum nostrum, & voluntas. quæ quidem sententia quoad vitia sine vlla limitatione verissima est, quoad virtutem autem necessariū est limitanda, & explicanda. Neque enim credibile est sanctissimum, & sapientissimum virum voluisse negare, Deum esse causam simpliciter virtutis humanæ. Negat ergo esse

esse talem causam, quæ hominem adigat, & sola sua vi determinet ad virtutem, sed illi liberam determinationem permittat, quam nomine propositi declaravit. Et quoad solum æquiparat virtutem, & vitium: nam sicut Deus non determinat voluntatem ad malum, ita non prædeterminat ad bonum vitæ motione illa physica, & de se efficaci. Vnde quæst. 9. subiungit. *Ad quæ voluntas nos impellit, (vtrique determinando se,) eorum causa, vel corona donatur, vel afficitur supplicio.* Deus enim nobis dedit facultates ad agendum, sed eas libertati voluntatis iudicioque subiecit. Vbi per facultates, (vtriusque doctrina sit solida, & vniuersalis, ac responsio sufficiens,) necesse est, vt tam gratia, quam natura principia intelligat. Et in omnibus ad libertatem requirit, vt voluntatis libertati subiecta sint. Vnde concludit, *Ad propositum, & voluntatem gubernare Deum eas facultates, non ad naturam.* Et simili modo exposuimus supra in lib. 3. Patres Græcos, qui aliquando significant actus liberos non esse ex prædefinitione, seu providentiæ communi, vtrique agentibus non liberis, quorum actiones ad vñ ordinatæ sunt. de quo videri potest etiam Bellarmin. l. 4. de grat. & lib. arbit. c. 7. in fine.

Præterea refertur Gregorius Nicens in oratione magna catechetica cap. 3. vbi aduersus eos, qui dicunt, posse Deum, si velit, eos, qui resistunt, compellendo attrahere ad suscipiendam prædicationem, inquit. *Vbi est ergo liberum arbitrium, vbi est virtus, vbi est laus eorum, qui se recte gerunt? est enim solum inanimum, aut eorum, quæ sunt expertia rationis, aliena voluntate ad id, quod videtur adduci.* In quibus verbis hæc vltima maxime expendo: nam contrariæ sententiæ Auctores docent, voluntatem nostram solam Dei voluntate, vel motione aliqua per illam solam immissa, ad volendum id quod proponitur adduci, quomodo enim ab alio non ducitur, qui ab alio non determinatur. Hæc tamen oratio non habetur in volumine operum Nicens, qui vtor, & ideo sensum eius in hac parte accuratius expendere non potui. Et propterea etiam omitto, quæ ab vtriusque sententiæ defensoribus nomine eius citantur lib. 7. Philosoph. cap. 1. & lib. 8. c. 4. quia hoc etiam opes videre non potui. Alij loco illius referunt Nemesium in lib. de Natur. homin. qui exat in tom. 9. Biblioth. Sanctör. in toto autem illo nihil dicit, quod multum ad causam præsentem faciat, præter id quod de liber. arbit. & præscientia conditionata in Prolegom. 1. & 2. notauimus, & quæ in lib. 3. cap. ex eodem adduximus contra prædeterminationem Dei ad actus malos.

Clarius de hac re testimonium nobis tribuit Cyrillus Alexandr. libro 8. contra Iulianum prope lib. finem, vbi in §. *Sed fortassis dicerent aduersarij, hanc illorum objectionem proponit, Quare filius Dei factus est homo, vt homines ad se conuerteret, cum posset, siquidem est verè Deus, annuendo solum, & ineffabili virtute terrena corda transmutando facere, vt velint, & sapient sibi placencia, religioseque viuere?* Et post aliqua in §. Si autem, respondet. *Omnis, quæ in cælis rationalis, & mentalis creatura liberum habet motum ad faciendum quæcunque voluerit, & propensio in vnoquoque a necessitate libera est.* Licebat enim sic, & non aliter bonos celebres fieri, & honores assequi, iniqueque condemnari improbos. Itaque, vt & nos quoque ad quoduis bonum sponte incederemus, consilio, non coactè viuere super terram homini promissit Deus. In quo responso illi modo in objectionem proposito transmutandi corda ineffabili virtute faciendo, vt velint, vtrique physice, & inuitabiliter, aperte opponit modum operandi liberè, & consilio, idque censet illum modum motionis & transmutationis cordium contrarium esse libertati. quod in §. sequenti declarat, dicens, *Itaque si ineffabili quadam diuina virtute, & efficacia vsus mutasset singulorum mentem ad bene agen-*

Fr. Suarez de Gratia Pars II.

dum, & indidisset postea hominibus, a quo egerimè postea discere possent, & non sponte vltra non esset fructus mentis, nec res digna laude, sed necessitatis. Profecto licet Cyrillus voce physice prædeterminationis, non vtatur eisdem verbis, quibus aduersarij eam definire solent, illam describit, dicens esse, vel ipsam Dei omnipotentiam, quæ ineffabili virtute, & efficacia corda transmutat, vel motionem quæ sit illius virtutis instrumentum, eamque virtute infallibili modo contineat. Docet ergo Cyrillus, Deum non hoc modo mouere, & transmutare, corda etiam in operibus gratia, sed persuadendo signis, & doctrina mirabili vltra legem, & mentem, ac corda hominum illustrans, vt ibi latè prosequitur.

Vnde idem Pater lib. 4. in Ioan. cap. 6. exponens verba illa. *Erunt omnes docibiles Dei,* dicit. *Non enim cum dicat neminem posse ad se venire, nisi Pater traxerit eum; vt quadam cogit. trahique credentes putandum est, sed motione, doctrina, reuelatione ineffabiliter facta, vt ille solus nouit.* In quibus verbis, & excludit necessitatem præmotionem, & moralem inductionem docet, dumquæ ait, *ineffabiliter,* agnoscit necessitatem internæ illuminationis, ac doctrinæ; addens vero, vt Deus nouit, gratiam vocationis efficacis insinuat, quam Deus ineffabili modo præbet, prout nouit homini congruere, quæ est Aug. phrasis & in cap. 7. circa illa verba, *Omnis qui audit a Patre, & didicit, venit ad me,* inquit. *Vbi auditus disciplinaque diuina adest, sibi fides, non vi, sed persuasionem oritur.* Patrocimio igitur Dei Patris non vi fideles Christum agnoscunt. Vbi expendo illos duos modos, vt, aut persuasionem, ponere vt immediatè oppositos, ac subinde prædeterminationem, quæ persuasionem non attrahit, vim quadam inferre. Sub persuasionem autem comprehendit omnem moralem modum alliciendi voluntatem, vt constat. Est etiam egregium testimonium Cyrilli lib. 11. in Io. cap. 21. vbi circa illa verba, *Nemo ex eis perit nisi filius perditionis,* quærit, *Quomodo Apostolos seruauit Christus, aut cur Iuda non profuit hæc saluatio?* Et in summa respondet. *Gratiam in alijs effulsit, saluauit quæ omnes, quæ cooperantem ei voluntatem tradiderunt; sic enim salutis nostræ modus dispositus est.* Iudas autem, (inquit paulo antea) *nulla necessitate, sed proprio iudicio fecit.* Et addit inferitis verba notanda, *Quod si proditor equaliter alijs discipulis Saluatoris auxilium non habuisset, frustra hæc a nobis dicerentur: sin autem non minus, quam ceteri diuina gratia regebat, sed suo ipsius iudicio in profundum perditionis elapsus sit, quomodo etiam non seruauit eum Christus, qui suum patrocimium ei prestitit, qui quantum ad ferendum opem ille attinuerit, seruasset hominem, nisi plerò ille in perditionem insilisset.* quæ omnia subistere non possunt, si auxilium prædeterminans necessarium, vt satis est in superioribus demonstratum.

His addi potest clemens Alexandrinus liber. 1. Pædagog. cap. 9. quatenus dicit, vt Deum omnibus sue sapientie machinis, ad voluntates hominum ad se trahendas, vbi expendo non tam potentiam, quam sapientiam exaggerare, quia non vitur Deus absoluta potestate ad determinandam voluntatem ad vñ se solo. necessitando ex suppositione motionis suæ; sed vt sapientia ad suadendum, cooperante etiam potestate. Atque ita post illa verba declarat hanc tractionem Dei per internas excitationes, & moralem inductionem. Et similem doctrinam habet lib. 2. Stromat. §. 8. & lib. 5. parum à principio. Quibus locis ita coniungendam docet gratiam cum libertate, vt in voluntate sit integra potestas: nam illud est liberum, cuius ex æquo sumus domini, ac proinde in nobis esse vocationi obtemperare, vel repugnare post moralem inductionem. Quamuis enim non hæc omnia simul doceat, tamen omnia loca conferendo, hæc est eius mens, & doctrina, in qua tantum à prædeterminatione abest, vtræ quæ docet, non possint

Trenius.

Marcus.
Eremita.
Isidorus.
Pelusiora.

18.
Additur
Philo.

Cantic. 6.

1. Corinthe. 15.

possint cum illa subsistere. Eodemque modo ad-
iungi potest Irenaeus lib. 5. contr. haeres. cap. 1. nam
similiter docet convertere Deum homines non vi,
sed secundum suadellam, quemadmodum dicebat Deum sua-
dentem; & non vim inferentem accipere qua vellet. Item
Marcus Eremita in opusc. de his qui putant ex o-
peribus iustificari cap. 56. dicens, Oculi gratia
nobis auxiliari non disunt, in nobis autem situm est pro vi-
rili bonum facere, aut non facere, primum quidem diuinitus
excitat conscientiam, &c. Denique refertur potest Ili-
dorus Pelusiora lib. 2. Epistolarum epist. 72. ubi eo-
dem modo explicat praemotionem Dei per voca-
tionem, quae vnumquemque pro sua voluntate ad-
discere & salutem assequi relinquit, & talem
dicit etiam fuisse vocationem Pauli, & simi-
les.

Ultimò ex Graecis addo Philonem Carpathio-
rum Episcopum, qui aequalis est Epiphano; ac-
proinde antiquior Augustino, & nihilominus, ita
in locutionibus de gratia imitatur Augustinum, ut
vsque ad eius tempora superuixisse, & eius opera
legisse videatur. Nam in expositione Cantico-
rum ad illa verba cap. 6. Pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis
ut castrorum acies ordinata. Primum per sexaginta Re-
ginas intelligit animas sanctas, quae castissime se regen-
tes, ac ceteros qui celorum regnum, ex diuina gratia, & li-
bero arbitrio cooperante adipisci nituntur. Ac deinde post
multa subiungit verba Pauli, Gratia Dei sum id quod
sum, & gratia eius in me vacua non fuit, & addit; Colla-
borauit enim, & quidem plus quam ceteri: Studeamus igitur,
& hunc nos imitari post acceptam Spiritus sancti gratiam ex
libero voluntatis arbitrio, quae bona sunt agere, cooperemur
gratia. Postea verò aggreditur explicare, quomo-
do gratia, & arbitrium coniungantur, & adductis
multis Christi verbis, quibus homines inuitat, &
elicit ad salutem, inquit. Ecce donat gratiam promeren-
di, offert, ut capias, hortatur accipere, ostendit occurrere, pul-
sat ut aperias, ait enim: Stas ad ostium, & pulso, si quis mihi
aperuerit, &c. Et infra, Quid ergo dicemus? trahamur oportet,
praeueniamur à gratia, & quae semper adiuuamur. Id ipsum
faciemus utique, sed collaboremus omnino necesse est, ne illud
incidamus, quod de negligentibus, & peruersis dicitur:
Ex te perditio tua Israel. Duo igitur ad salutem sunt nobis
maximè necessaria, quorum vnum supra nos, alteram no-
bis inest ex munificentia conditoris, diuina gratia scilicet
nos praedeterminans, & liberum de voluntate iudicium, gratia al-
liciendo incipit, admissa consequitur, bene retenta, ac foras
perficit. Ac tandem dicit gratiam allicere, ac mo-
uerè voluntatem, non tamen illa vi cogere. In qui-
bus verbis omnia, quae in hoc puncto nos tradi-
mus, continentur. Et quamuis hic Sanctus non ex-
presse rejiciat physicam praedeterminationem volunta-
tis, sine illa tamen explicat totam gratiam praue-
nientem, trahentem, & adiuuantem voluntatem,
& cum illa semper coniungit liberam voluntatis
determinationem, seu cooperationem, & sub no-
mine coactionis, & vis, excludit quicquid sponta-
neam determinationem ex indifferente potestate
impedire possit, qualis praedeterminatio physica
esse videtur.

19.

Clemens.
Rom.

Ex Patribus Latinis afferri possunt omnia quae
de libertate arbitrij tradunt, etiam in operibus
gratiae, & praesertim ubicunque docent post vo-
cationem ad fidem, vel poenitentiam esse in pro-
xima hominis potestate ad alterutram partem se
determinare, & tunc illi imputari, si in deterio-
rem partem declinet. Haec enim & similia, ut late
probatum est, cum praedeterminatione physica
ab extrinseco immixta independentes à voluntate
hominis, & necessaria ad volendum non subsi-
stunt. Sic ergo Clemens Roman. epist. 3. circa me-
dium. Qui audit sermonem veri prophetae, (ait,) habet in
sua potestate velle, & nolle illa amplecti. Nam si hoc esset, ut
videntes ea iam non haberent in sua potestate aliud facere,

quam audierant, vis erat quaedam naturae, per quam liberum
non esset ad aliam migrare sententiam. Simili enim mo-
do nos dicimus, si audiens cum vocatione simul
recipiat talem impulsus, ut iam non habeat in sua
potestate aliud facere, vis quaedam esset praeter-
determinationis, non libera electio. Nunc autem, (subdit
inferius,) liberum est animo in quam voluerit partem de-
clinare iudicium suum, & quam probauerit, eligere viam.
Quid quæso est, in quam voluerit partem declinare, nisi
se determinare, aut quomodo id attribuitur vo-
luntati, si prius natura ita ab alio determinatur, ut
iam non nisi vnum probare, aut eligere possit.
Hunc locum in locupletat egregie Turrian. lib. 1. pro
epist. Pontific. cap. 2. adductis Graecorum testimo-
nijs, ex quibus maximè ad causam faciunt verba
Concilij Ticinensis ad Constantinum.

Secundò allegari potest Leo I. licet enim hi Pa-
tres Pontifices fuerint, tamen quia in his locis non
definiendo; sed simpliciter ad doctrinam in Eccle-
sia receptam tradendam loquuntur, ideo eorum
testimonia nunc proferimus. Leo igitur in serm. 1.
Epiphaniae in fine, ubi post exaggeratam gratiam
vocationis gentium, & diuini luminis beneficium,
ad cooperandum diuinæ gratiae exhortatur, di-
cens, Et nos de cordibus nostris quae sunt Deo digna promi-
mus, & addit; Quamuis enim omnium bonorum sit ipse
largitor, etiam nostra tamen fructum querit industria. Non
enim dormientibus prouenit regnum celorum, sed in manibus
Dei laborantibus, atque vigilantibus, ut si dona illius terra
non fecerimus, per ea quae dedit mereamur accipere quod promi-
sit. Haec enim Sancti Leonis doctrina non solum
in operibus quae post iustificationem facere debe-
mus, sed etiam in illis, quae post vocationem facere
oportet, ut iustificemur, verum habet. Vtraque
enim sunt dona Dei, & ex efficaci vocatione, seu ex-
citatione procedunt, & tamen de illis ait non ob-
stante praemotione Dei necessariam esse nostram in-
dustriam, seu consensionem, esseque in nostra po-
testate prauehientia Dei dona irrita facere, ac pro-
inde in illis prauehientibus donis non contineri
auxilium praedeterminans voluntatem nostram, cum
illud nec possit à nobis tui fieri, nec expectet nostram
industriam, sed omnino ad cooperandum quasi cogat.

Tertio expendo nonnulla Ambrosij testimonia.
Nam lib. 1. in Lucam in §. Visum est, & mihi, sic ait. Exponit
Potest etiam non ipsi soli visum esse, quod visum est
sibi esse declarat. Non enim voluntate humana tantum
visum est, sed sicut placuit ei, qui in me loquitur Christus, qui
id, quod bonum est, nobis quoque videri bonum possit, quæ-
tur. Quod ad operantem, seu prauehientem gra-
tiam, & sanè efficacem pertinet, quomodo autem
detur, sic declarat. Quem enim miseratur, & vocat, ubi
non praedeterminationi, sed vocationi id tribuit.
Vnde subiungit, Et ideo qui Christum sequitur, interrogat-
ur, cur cum voluerit, Christianus respondere possit. Visum est
mihi. Quod cum dicit, non negat Deo visum à Deo enim pre-
paratur voluntatem hominum: ut enim Deus honoratur à Sa-
do, gratia Dei est. Est ergo haec secundum Ambro-
sium, non gratia praedeterminationis, sed vocatio-
nis, quae per eandem vocationem fit, & relinquit in
homine potestatem, qua possit dicere. Visum est mihi
quod propriam determinationem à se factam sig-
nificat, non à solo Deo immixtam. Est etiam egre-
gius locus apud eundem Ambrosium, in expositione
Symboli Apostolorum. capite 4. ubi de Spiritu sancto
ait, Vbi vult in quos vult, & quantos vult, & quantum vult
inspirat sua propria voluntate, per quae verba gratiam
prauehientem gratiam nobis tradit, eamque in di-
uina inspiratione constituit, & pro eadem Dei vo-
luntate, esse efficacem demonstrat, subiungens, Re-
lunat, esse efficacem demonstrat, subiungens, Re-
plet ergo gratia sua, quos vult, & quantos vult, & quantum
vult. Ex quo intelligimus praecedere quidem
posse voluntatem prauehientem Dei, illam vero
per inspirationem accommodatam secundum di-
uinam

uinam sapientiam sine alia prædeterminatione efficaciter impleri. Unde ad Roman. 9. §. Quos & vocauit; Hos, inquit, quos vocauit, præparauit ad gloriam, siue eos, qui prope erant, siue eos qui longè, sciens permanuros in fide. Denique in lib. 4. in Lucæ 4. §. Et repleti sunt, de tudais ciuitatibus Christum ait. Nec mirum, si per dederunt salutem qui dederunt & suis sinibus salutare. Moraliter enim Dominus, & qui docuerat exemplo sui Apostolos suos, omnibus omnia fieri, nec volentes reputant, nec inuitos alligat, nec efficientibus reluctatur, nec rogantibus desistit. Certè non video cur Ambrosius moralem Dominum vocauerit, nisi quia morali modo, & liber s hominibus accommodato homines vocauit, ideoque sic homines inuitat, vt non alliget ad vnum, quod faceret prædeterminando; ille enim modus moralis non esset. Rectè ergo ad mentem Ambrosij dicere possumus Deum trahere homines per moralem gratiam quoad modum præuix inductionis, cooperando physice cum illis, si ipsi velint; nam hæc physica efficientia, etiam ad moralem effectum necessaria est.

Quartò addimus Hieronymum lib. 4. in Ieremiam 18. in principio exponens, quod ibi ait per Prophetam Deus, sepe prædici mala, vel bona, & non euenire, quia hominum voluntates immutantur, ait Hieronymus hoc dixisse Deum, vt liberum esset arbitrium, & subiungit, Et hoc dicimus, non quod ignoret Deus hoc, vel illud gentem, aut regnum esse futurum, sed quod dimittat homines voluntati suæ, vt vel præmia, vel penas suæ voluntate, & suo merito recipiant. Difficile profe & explicatur, quomodo Deus homines voluntati suæ dimittat, si in singulis actibus vel bonis, vel etiam malis ad vnum tantum, & ad exercitium eius illam determinat. Ne autem per verbum illud gratiam exclusisse videretur, subdit Hieronymus. Nescitum totum erit hominis, quod eueniet, sed eius gratia, cui cuncta largitus est, ita enim libertas arbitrii reseruanda est, vt in omnibus excellat gratiam largitoris. Scante igitur hac gratiæ excellentia, & necessitate, ita concilianda est cum libertate, vt ea non obstante voluntas suæ libertati committatur, non ita vt prædeterminetur. Similia ferè habet Ierem. 24. circa finem, & cap. 26. in principio.

Item Ista 49. in id. In vacuum laborauit sine causa, & vane fortitudinem meam consumpsi, dicens. Hæc vniuersa dicuntur, vt liberum hominis arbitrium monstraretur. Deum enim vocare est, & nostrum credere, nec statim si nos credimus, impossibilis Deus, sed potentiam suam nostro arbitrio dereliquit, vt iussu voluntas premium consequatur. Quid quæso est; Deum potentiam suam nostro arbitrio derelinquere, nisi actionem suam ita temperare, & arbitrio accommodare, vt indifferentiam eius non auferat, neque ad vnum prædeterminet. Quam moderationem, seu accommodationem influxus diuini ponit etiam Hieronymus in illis actionibus voluntatis, ad quas Deus specialiter per gratiam præmouet. Et similia habet epist. 150. ad Hedibiam. quæst. 10. vbi post vocationem gratiæ absolutam potestatem consensus, vel dissensus voluntati tribuit. Et ex eiusdem libera facultate, rationem reddit, cur ex eisdem vocatis quidam veniunt, alij obdurescunt. Quia non saluat, inquit, & irrationabiliter, & absque iudicij veritate, sed causis præcedentibus, quia alij non susceperunt Dei filium, alij suscipere voluerunt. Quam rationem nolunt defensores prædeterminationis admittere. Hieronymus verò illam censet necessariam saltem in ipsa executione, quia discretionem per solam prædeterminationem rationabilem non censuit. Tandem in epist. 146. ad Damascum de filio prodigo verba illa, Dixisti illis substantiam, exponit, id est, dedit illis liberum arbitrium, dedit mentis propriam libertatem, & vt videret vnusquisque, non ex imperio Dei, id est, non ex necessitate, sed ex voluntate. Vbi per imperium,

non legem, vt per se constat, sed motionem physicam intellexit Hieronymus, sicut dicere solemus, membra externa imperio voluntatis moueri, eamque per necessitatem experire, quia tale imperium necessitatem imponit, si omnino ad vnum determinat.

Denique merito pro hac parte allegare possumus Tertullianum lib. de anim. cap. 21. & libro 2. contra Marcion. cap. 5. & sequentibus, & Cyprian. epist. 55. ad Concilium, & alios, qui agentes de arbitrii libertate, semper dicunt ita subiici gratiæ, vel ita moueri diuinis inspirationibus, seu vocatione, vt electio, seu; (quod idem est) determinatio eius potestati relinquatur, quod certè cum præuia, & totali determinatione ad vnum per solam Dei voluntatem immixta intelligi non potest. Unde etiam dixit Tertullianus libro de exhort. ad castitatem, capite secundo non esse soli Dei voluntati tribuendum, quod ab hominis pendet voluntate: quem locum cum alijs supra libro 3. cap. 3. satis expendimus. Possuntque hic adduci testimonia Patrum, dicentium suppositionem antecedentem repugnare libertati, quos partim in Prolegom. 1. agentes de indifferentia necessaria ad vsum libertatis, partim in Prolegom. 2. tractando de præscientia Dei adduximus. Item possent huc afferri Patres docentes cum eisdem auxilijs præuenientibus posse homines conuertere, & non alium. Nam illud pronuntiatum non potest cum alio prædeterminante subsistere, vt defensores eius fatentur, & ideo illud impugnat. Sed de illo puncto proprium caput postea instituemus.

CAP V T XLV.

Antiquos Patres nihil pro physica prædeterminatione nobis tradidisse.

IN hoc capite ad ea respondebimus, quæ ex auctoritate eorundem Patrum aduersarij nobis obijciunt, simulque ab auctoritate negatiua eorundem Patrum argumentabimur. Nam certè verisimile non est, si tale genus auxilij efficacis necessarium est ad salutem, omnes hos antiquos Patres illud ignorasse, aut illud cognouerunt, tanto silentio illud præterisse: sed nulla mentio talis auxilij in his Patribus inuenitur, ergo vehemens coniectura est, vel nunquam dari, vel saltem non esse necessarium. Minorem non aliter probò, nisi quia neque in his, quæ in his Patribus legere potui, aliquid huiusmodi inueni, neque defensores alterius sententiæ, qui maiori fortasse diligentia illud quæserunt, id nobis allegant, quod breuiter ostendam discurrendo per ea quæ allegata inuenio.

Primò enim allegatur Dionysius cap. 4. de diuinis nominib. dicit Deum vocari amorem, quia generat, seu creat in nobis, & immittit amorem, & quia, ad illud pertinet quod moueat, & causet motionem in alijs. Sed hæc omnia loquendo in ordine gratiæ verissime dicuntur propter infusionem charitatis tam habitualis, quam actualis per excitantem, & adiutantem gratiam, neque aliud ex illis verbis colligit D. Thomas explicando illa in lect. 11. citatur etiam Dionysius in cap. 5. eiusdem libri, in vltima eius parte, vbi agit de diuinis exemplaribus, ac prædeterminationibus. Sed ille locus pertinet ad generalem prouidentiam, vel rerum creationem, vt alij volūt, & ideo illum sufficienter attingimus in lib. 3. cap. 3. Secundo allegatur Ephrem, varijs in locis. Primò in ferm. de vita relig. satis post medium, vbi comparat

23.
Allegatur
Tertullianus
&
Cyprian.

Respondetur
ad ob.
iecta.

Allegatur
Dionysius.

D. Thom.

II. Ephrem.